

ra, vera. Alioquin potissima nostræ religionis pars nobis deferenda esset, quæ, nova, respectu Ecclesiæ Romanæ, affert plurima. Unde etiam Reformatarum Ecclesiarum nomine gaudemus. Nova etiam interdum ea dicuntur, quæ tantùm talia esse videntur, reuera autem sunt antiquissima, ut pote ab Apostolis profecta, qui soli fidei Christianæ fundatores sunt. Perversâ porrò nonnè omnia ea videri possunt, quæ nostris non arrident placitis? Hoc modo nos Lutherani & alii proscindunt, nec tamen id nos curamus minimùm. Pugnare autem librum cum fide antiqua Ecclesiæ Catholicæ in nonnullis, quænam tam gravis criminatio aut culpa est? Nam, si per antiquam fidem Ecclesiæ Catholicæ, Romanam intelligas, vel saltem eam, quæ post Apostolos extitit, quo sensu video te, in hoc eodem scripto, Ecclesiam Catholicam accipere, hac ratione omnes Pontificii excusantur, si libros nostros comburant. Nullus enim fere est, in quo nonnulla non sint, quæ cum fide antiqua Ecclesiæ Catholicæ, quam illi pro tali agnoscunt, pugnent: Si verò, nomine Catholicæ Ecclesiæ, ipsam Apostolicam intelligas, nec hîc ulla culpa tam gravis est, nisi probetur, ista nonnulla fundamentum fidei spectare, quod, an de libro illo dici possit, saltem dubium hætenus apud omnes esse debet. Quantò rectiùs tantus fecisset REX, si, vel per amicam collationem, vel Synodum aliquam, ista inter Theologos tractari iussisset, & ita omnia non humana autoritate, sed rationibus ex sacris literis depromptis decisa fuissent. Tu verò, Casaubone, qui istud Archiepiscopi & Regis factum, tanquam res bene gesta sit, commendas, quid agas, quæso, vide. Nam si Tu, qui tantæ es apud Regem autoritatis & dignitatis, ad istud conniveas, quis talia castigare audebit? Si verò ista

A 3

nemo